LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

Van Hout

Programm

des

Königlichen Gymnasiums zu Bonn.

Schuljahr 1872—73.

Zusammengestellt

von

dem Director des Gymnasiums

Dr. Joh. Jos. Klein.

Inhalt:

Bonn,

Druck von Carl Georgi.

1873.

DE VI ATQVE VSV
PRONOMINIS *ΑΥΤΟΣ* ADIECTI AD REFLEXIVA.

Ex quo linguae cum Graeca Latinaque cognatae et inter se et cum illis comparari coeptae sunt, inprimis in pronominum originem inquisitum esse apparet, quod eorum radicibus repertis qua ratione lingua sensim et pedetentim fabricata sit verba, planius intellegere licet. Neque vero eadem diligentia viri docti perscrutati sunt, quam vim habeant pronomina in verborum sententiarumque conexu, quamquam ex ea re non minus utilitatis redundaturum esse existimo. Videtur id hac de causa esse factum, quod cum in aliis linguis tum in Graeca multa, quae ad propriam pronominum vim et naturam pertinent, accuratiore egent disputatione. Qua in parte artis grammaticae cum nisi singulis rebus satis accurate exploratis nihil pro certo adfirmari possit, operae pretium facere mihi videor, si ea, quae de vi atque usu pronominis *αὐτός*, cum adicitur ad reflexiva, dicenda sunt, disserendi ratione comprehendam. Sed pauca de ipso pronomine *αὐτός* videntur esse praemittenda.

Atque vim naturamque pronominis *αὐτός* veteres grammatici Graeci accuratius perceperunt subtiliusque explanarunt, quam qui hodie ad grammatica conscribenda se conferunt. Apollonius quidem Dyscolus, qui qua erat ingenii acie atque sagacitate, pronomina linguae Graecae divisit in demonstrativa *δεικτικά* et relativa *ἀναφορικά*, illud recte in posteriorum numero rettulit, cum in libello de pronom. p. 270 B [1]) scriberet: *Πᾶσα ἀντωνυμία ἢ δεικτική ἐστιν ἢ ἀναφορική, αἱ κατὰ πρῶτον καὶ δεύτερον μόνως δεικτικαὶ, αἱ κατὰ τὸ τρίτον καὶ δεικτικαὶ καὶ ἀναφορικαὶ, ἐκεῖνος, ὅδε, οὗτος, ὑπεσταλμένης τῆς αὐτὸς, ἥτις πάλιν δεικτικὴ γίνεται συντασσομένη ταῖς δεικτικαῖς ἀντωνυμίαις.* Quod vero de constr. II p. 98, 3 proprium relationis *δευτέραν γνῶσιν* esse contendit, nihil aliud dicere vult nisi illud pronomen adhiberi non posse ad res significandas, quae extra nos positae, prout sub oculos cadant, ipsae indicentur atque demonstrentur, sed potius ad eas, quae iam antea in sermone sint commemoratae. Cui sententiae etsi nemo est qui repugnet, tamen de propria vi eius relationis, quam in pronomine inesse recte dicit Apollonius, viri docti mirum in modum dissentiunt. Omissis cum aliis vanis opinionibus tum ea, qua sola vis adver-

1) Apoll. de pronom. in Wolfii et Buttmanni museo antiq. stud. I.

sandi pronomini subicitur, sententias eorum adferam, qui diligentius notioni huius pronominis definiendae operam dederunt. Quo in numero honoris causa nomino G. Hermannum G. Bernhardyum. Quorum ille [1]) pronomen a particula αὖ vel αὖτε ductum esse existimans hac sola originis ratione habita dicit propriam eius significationem hanc esse, quasi quis iteratum dicat. Hinc apertum esse, hoc nomen natura sua pronomen esse, quippe quod per se intellegi nequeat, nisi referatur ad aliquid quod sit cogitatione iterandum. Itaque sive Graece αὐτός, sive Latine ipse, sive alia lingua aliter dicas, id proprie nihil aliud significare, quam h i c d e q u o l o q u o r. Qui autem tali pronomine notionem eius rei, de qua loquatur, iteret, eum facere hoc eo consilio, ut se quam maxime de ista re loqui ostendat. Hinc primarium istius pronominis usum in eo versari, ut rem ab aliis discernendam esse indicet. Contra Bernhardyus [2]) vestigia Apollonii consecutus illud pronomen vere esse relativum contendit, cum hanc vim habeat, ut singulas personas easdem atque ipsas esse ostendat, dicitque exaggerata interdum notione illius pronominis factum esse, ut essent qui non multo minus id valere putarent, quam mancum illud atque infirmum pronomen tertiae personae. Ad quam sententiam cum accederet Hartungius [3]), nihil antiquius habebat, quam ut notionem e stirpe eliceret. Repetendum enim ei videtur ex primitivis ἅς vel αὖς [4]), quorum hoc Cretes et Lacones pro αὐτός usos esse ex glossemate Hesychii adfert, illud numerale pro εἷς apud Dorienses fuisse eademque notione in lingua Latina as- assis inveniri dicit. Sed cum illi viri doctissimi in Graecorum verborum originibus indagandis cognatas, quas Indogermanarum nomine complectimur, linguas in auxilium non vocarent, factum est, ut alia non recte explicarent, alia omnino non invenirent.

Ac ne illi quidem qui subtiliore linguarum Indogermanarum scientia imbuti sunt, de origine vocis αὐτός plane inter se consentiunt. Cum enim Schmidtio [5]) illud verbum ex αὖ particula et τός, schemate, ut ita dicam, pronominis demonstrativi compositum esse videatur, ita ut proprium i t e r u m h i c exprimat atque notionem, quae iam ante sit commemorata, nunc repeti indicet [6]), Windischius [7]) etsi Graecum αὐτός et Latinum a u t e m ex eadem stirpe nata esse concedit, tamen in pronominibus αὐτός et οὗτος eandem radicem u t a inesse putat, quae antiquissima linguae Graecae aetate in formam ὑτο sit redacta. Deinde suspicatur radicem ὑτο summotam esse radice αὐτο, quippe cum Graecae particulae αὖ et αὖτε Sanscritis u et u t a respondere videantur. Quae quidem sententia ne Sonnei quidem opinione [8]), qua αὖτε rursus ex αὖ et enclitica τε com-

1) Hermanni dissert. de pron. αὐτός in eius opusc. I, 308.

2) Bernhardy, Wissenschaftliche Syntax p. 286.

3) Hartung, Lehre von den Partikeln II, 7.

4) Illud αὖς, quod etiam in inscriptionibus Delphicis invenitur, ex αὐτός attenuatum esse, demonstrat Windischius, Untersuchungen über den Ursprung des Relativpronomens in den indogermanischen Sprachen, ap. Curtius, Studien zur griech. und lat. Gramm. II, 365.

5) Max. Schmidtii commentatio de pronom. Graeco et Latino. Halis 1832 p. 46.

6) Similiter Schoemann, Redetheile p. 110: »Das Identitätspronomen αὐτός ist ein Compositum aus zwei Pronominalstämmen, deren letzter die blos demonstrative Bedeutung, der erste aber die der Wiederholung des Vorgestellten hat«.

7) Windisch. l. c. p. 264.

8) Sonne, Sprachliche und mythologische Untersuchungen, angeknüpft an Rigveda I, 50, ap. Kuhn, Zeitschrift XII, 278.

positum esse potest, videtur labefactari, cum cognatio Sanscritae uta, Graecae αὐτός, Latinae autem, Gothicae auk negari nequeat.

Utcunque igitur se res habet, hoc constat inesse in pronomine αὐτός radicem quandam pronominalem, quae aut sua ipsius natura, quod Windischius l. c. p. 363 demonstrare studet, aut, quod mihi quidem veri similius videtur, vi particularum cognatarum hanc sibi vim induit, ut aliquid sibi par atque idem esse indicet. Neque enim est, cur Windischius vim particularum illarum ad pronomen referre tam anxie dubitet, cum qua ratione altera cum altera coaluerit, et ratione et usu facile evinci possit. Nam cum dicimus rem sibi ipsi parem esse, mente eam tanquam in duas partes dividimus atque omnia disparia discernentes in unam coartamus atque condensamus. Etsi Graeci, qua erant alacritate et celeritate cogitandi, disiunctum illud uno temporis puncto coniungebant, tamen non aliter ac si particulis αὖ vel αὖτε uterentur, de duabus rebus loqui videbantur. Quod usu admodum frequenti probatur. Nam cum Ulixes in Soph. Philoct. 373 dicit:

ἐγὼ γὰρ αὖτ' ἔσωσα κἀκεῖνον παρών,

illud αὖτε idem valet atque αὐτός, quod quidem Ovidius metam. XIII, 284 sic reddit:

his humeris ego corpus Achillis
et simul arma tuli.

Atque cum Neoptolemus apud tragicum quendam (adesp. 295) appellatur:

οὐ παῖς Ἀχιλλέως, ἀλλ' ἐκεῖνος αὐτὸς εἶ,

poeta nihil aliud dicere vult nisi: non filius Achillis, sed ille ipse es, h. e. ille iterum vel rursus Achilles. Hac de causa pronomen αὐτός non modo saepissime apud Graecos scriptores invenitur, sive praedicatum iterum alteri cuidam subiecto tribuitur, sive alterum subiectum iterum praedicatum recipit, ita ut respondeat Latino item et idem, verum etiam a Thucydide aliisque saepe καὶ αὐτός augendi causa additur ad verba cum ἀντί composita, in quibus vulgo notio iterandi inest. Cf. Herod. VI, 14; Thuc. I, 50, 4; 105, 6; IV, 124, 3; V, 6, 3; VIII, 104, 1. Eodem autem modo particula αὖ significat item, velut in Plat. republ. 442 C, ubi rationi, parvae parti animi, idem tribuitur, quod hominibus ratione praeditis, qui pauci inveniantur in republica. Cf. etiam ib. 606 C. Atque interdum αὖτε pronomini αὐτός tanquam ad notionem eius amplificandam additur, velut in Soph. Philoct. 670, ubi Philoctetes, postquam Neoptolemo pro beneficiis in se conlatis arcum tangere permisit, quo modo ipse de Hercule rogo eius in Oeta monte accendendo bene meritus arcum acceperit, hisce commemorat verbis:

εὐεργετῶν γὰρ καὐτὸς αὖτ' ἐκτησάμην..

Quae cum ita sint, videtur esse perspicuum, pronomine αὐτός proprie aliquid ita iterari, ut id, quod nunc commemoratur, cum eo, quod iam commemoratum est, prorsus unum aliquid efficiat. Quam primariam pronominis notionem si ii, qui veterum scriptorum libros interpretantur, semper ante oculos habuissent, certe a locis quibusdam corrigendis manus abstinuissent. In Soph. Oed. tyr. 458, ubi Erfurdtius eumque secutus Dindorfius legunt:

φανήσεται δὲ παισὶ τοῖς αὑτοῦ ξυνὼν
ἀδελφὸς αὑτὸς καὶ πατήρ,

sine dubio αὐτός, quod libri manu scripti habent, restituendum est. Eum enim, quem Oedipus

quaerat, vaticinatur Tiresias fore ut appareat, fratrem et patrem una persona cum liberis suis esse. Neque est cur offendas in Soph. Philoct. 691:

ἵν' αὐτὸς ἦν πρόσουρος.

Ubi enim sermo est de vicino, statim cogitandum est de duobus, de eo qui habitat et de eo qui iuxta eum habitat; isti vero voce αὐτός poetice quidem in unum coguntur. Quibus verbis nisi hanc vim poeticam subicere velis, sed cum Meinekeo αὐτός οἱ pro αὐτὸς ἑαυτῷ legas, consideres quaeso hoc ne in pedestri quidem oratione dici posse, si indicandum sit, quod poeta vult, omnia circa quendam esse deserta. Cum enim a notione vicini vis iuxta habitandi secerni omnino nequeat, αὐτὸς ἑαυτῷ πρόσουρος proprie is est, qui duo praedia possidet, quorum alterum alteri est finitimum. Neque ego Heindorfio et Stallbaumio adsentiri possum, qui in Plat. Euthyd. 272 C, ubi legitur: ἀλλ' ἐγὼ ἓν μόνον φοβοῦμαι, μὴ αὐτὸς ὄνειδος τοῖν ξένοιν περιάψω, ὥσπερ Κόννῳ τῷ Μητροβίου, τῷ κιθαριστῇ, ὃς ἐμὲ διδάσκει ἔτι καὶ νῦν κιθαρίζειν, illud αὐτός librorum manu scriptorum e solo Bodleiano in αὖ restituendum esse censent. Immo metus Socratis, ne auctoritatem magistrorum suorum non augeat, unum illud est, quod ita refertur ad Euthydemum et Dionysodorum sophistas, ut iam antea ad Connum citharistam.

Iam vero quae supra de primaria pronominis notione diximus, alio argumento probari putamus. Quod quidem in eo versari videtur, quod notio pronominis αὐτός Homeri demum aetate ita attenuata est, ut munere pronominis tertiae personae fungi posset. Ut enim αὐτός raro in casibus obliquis vim habet Latini is, ea, id, velut Odyss. XVI, 370, ita saepe invenitur praeditum notione Latini idem, velut Odyss. VIII, 107:

ἦρχε δὲ τῷ αὐτὴν ὁδὸν ἥν περ οἱ ἄλλοι.

Quod etsi Windischii sententiam probare videtur, radicem vocis αὐτός eandem vim habuisse, quam nostrum »er selbst«, tamen id refellitur tum iis locis, quibus αὐτός iterum refertur ad tertiam personam, ita ut habeat vim reflexivam, tum multis illis locis, quibus vox illa pertinet ad primam et secundam personam, ita ut pronomen ipsum sit mente supplendum. Conferas velim Hom. Odyss. II, 125, ubi Antinous iratus quod a Penelope deceptus sit, minatur procos in consumenda Telemachi re familiari perseveraturos esse, donec illa ab ea quam dii suggessissent mente rediret, atque addit:

μέγα μὲν κλέος αὐτῇ
ποιεῖτ', αὐτάρ σοί γε ποθὴ πολέος βιότοιο.

Et in Il. II, 261 Ulixes hisce verbis Thersiten increpat:

εἰ μὴ ἐγώ σε λαβὼν ἀπὸ μὲν φίλα εἵματα δύσω,
χλαῖνάν τ' ἠδὲ χιτῶνα, τά τ' αἰδῶ ἀμφικαλύπτει,
αὐτὸν δὲ κλαίοντα θοὰς ἐπὶ νῆας ἀφήσω
πεπληγὼς ἀγορῆθεν ἀεικέσσι πληγῇσιν.

Atque adeo invenitur αὐτός pro pronomine reflexivo primae personae, velut in Odyss. XXI, 249:

ἦ μοι ἄχος περί τ' αὐτοῦ καὶ περὶ πάντων.

Apparet igitur notionem iterandi ac repetendi, quam in pronomine inesse diximus, apud Homerum quidem propendere. Cognoscitur autem e ratione repetendi mira illa linguae Graecae subtilitas ac mobilitas. Cum enim rationes inter singulas res intercedentes, quas singulis casibus significare solebant, etiam ad illam repetitionem transferrent, factum est, ut saepius illam notionem, quae pronomine αὐτός iteratur, non simpliciter repeterent, sed vim genetivi et dativi adice-

rent. Quod quidem a linguae indole non esse alienum, ex eo conligi potest, quod ad easdem in verbis rationes significandas genus, quod dicitur medium, invenerunt. Hac vero eaque sola ratione permultae illae loquendi formulae cum voce *αὐτός* compositae explicari possunt. Quantumvis enim vim distinguendi, quam e simplici repetitione nasci perspicuum est, augeas ac tollas, nunquam nisi calamistris inusseris rationem invenies, qua pronomen vim acceperit Latini sponte vel solus. Homericum illud Il. XVII, 254:

ἀλλά τις αὐτὸς ἴτω,

haud scio an nemo vi distinguendi interpretetur. Nonne facile expeditur notio sponte e primaria notione, si illud *τὶς* cum vi genetiva, ut hoc verbo utar, repetitum esse statuimus? Significat igitur *ἀλλά τις αὐτὸς ἴτω* nihil aliud nisi *ἀλλά τις (ἔκ) τινος ἴτω.* Iam vero cum Plato legg. VIII, 836 B dicit: *αὐτοὶ γάρ ἐσμεν*, hoc non omnino idem est atque *μόνοι ἐσμέν.* Illa enim formula tum potissimum Graeci utuntur, si quis liberius quiddam, quod alios si adsint possit offendere, sit dicturus. Est igitur *αὐτοί ἐσμεν* idem atque *ἡμεῖς ἡμῖν ἐσμεν.* Cf. Hom. Il. VIII, 99; Aristoph. Ach. 503; Theocr. Id. X, 19; XI, 12. Vis illa dativa planius cognoscitur in Plat. Phaed. 63 C: *πότερον αὐτὸς ἔχων τὴν διάνοιαν ταύτην ἐν νῷ ἔχεις ἀπιέναι ἢ κἂν ἡμῖν μεταδοίης;* Namque *αὐτός* ipsi dativo *ἡμῖν* opponitur. Porro notio genetivi cernitur in verbis antiquitus compositis *αὐτόματος, αὐτοδίδακτος*, vis dativi in *αὐτοσταδίη, αὐτοσχεδίη*, aliis.

Iam vero varias notiones ex ipsa vi repetendi proficisci quis est qui ignoret? Ac primum quidem cum fieri non possit, quin res vel persona iterum commemorata prae aliis extollatur, pronomen, ut iam supra diximus, accepit vim distinguendi. Quae si per emphasin enuntiatur, nascuntur formulae, qualis est Pythagoreorum illud *αὐτὸς ἔφα.* Locutus est — hoc dicere volebant Pythagorei — vir ille clarissimus, cuius auctoritas tanta est, ut verba eius documentis non egeant. Similiter per ironiam Aristoph. nub. 219 hoc pronomine utitur. Strepsiadae enim quaerenti:

φέρε τίς γὰρ οὗτος οὑπὶ τῆς κρεμάθρας ἀνήρ;

discipulus haud mediocri magistri sui admiratione imbutus respondet: *αὐτός*, cumque Strepsiades, de consilio nihil sapiens, iterum quaesierit: *Τίς αὐτός;* tum demum nomen magistri profitetur. Eadem exaggeratione *αὐτός* saepius significat dominus, velut Plat. Protag. 314 D, republ. 327 B, Xenoph. Oecon. III, 5. Neque vero aliter Graeci neutro huius pronominis usi sunt, cum rem gravissimi momenti significare vellent. Sic legitur in Plat. Phaedr. 273 A: *αὐτά γε, ὦ Σώκρατες, διελήλυθας, ἃ λέγουσιν οἱ περὶ τοὺς λόγους τεχνικοὶ προσποιούμενοι εἶναι*, h. e. ipsa illa protulisti, h. e. rem acu tetigisti. Cf. Plat. Charmid. 166 B, Lys. 204 B, Meno. 71 A; Thuc. I, 1, 2; 22, 4; 144, 4; II, 36, 4; 43, 1; VI, 18, 6.

Praecipue vero dignus, ad quem animum attendamus, usus ille est, quo Graeci utuntur voce *αὐτός*, si actione quadam, quae subiecto tribuitur, periculum fit, ne ipsum subiectum non idem, sed alterum esse videatur. Quare si actio, quae non de more fieret, ad subiectum rediret, Graeci, quae est huius gentis subtilitas, id recto accentu notare consueverunt. Repetitur igitur hoc usu subiectum, ut idem illud esse atque antea erat magis appareat. In versibus Aeschyleis a Platone in republ. 383 B laudatis

ὁ δ' αὐτὸς ὑμνῶν, αὐτὸς ἐν θοίνῃ παρών,
αὐτὸς τάδ' εἰπών, αὐτός ἐστιν ὁ κτανὼν
τὸν παῖδα τὸν ἐμόν,

αὐτός eo quo diximus modo usurpatum saepius repetitur, quo maiore cum indignatione perfidia dei indicetur. Sic etiam Lys. XII, 68 adv. Eratosth.: *αὐτὸς ἐπαγγειλάμενος σώσειν τὴν πόλιν αὐτὸς ἀπώλεσεν.* Cf. Xenoph. anab. III, 2, 4.

Largiter vero usi sunt hoc pronomine philosophi cum ad alias rationes indicandas tum ad ipsam vim naturamque alicuius rei significandam. Itaque cum ad nomina abstracta illam vocem adicerent, factum est, ut ea per se ab omnibus corporibus immunia ac libera consideranda esse viderentur. Unde orta est universalis alicuius rei notio, quam Graeci *ἰδέαν* vocant. Itaque *αὐτὸ τὸ δίκαιον, ἀγαθὸν καὶ καλόν*, de quo Plat. Phaed. 65 D disputat, est iustum bonum pulchrumque per se consideratum atque in se conlectum, quod quoniam ex Platonis sententia vere est, opponitur iis, quae sub sensus cadentia perpetua agitatione fluctuantur. Perspicue Plato hanc dicendi formulam explanat in Phaed. 74 A, hoc interrogans: *φαμέν πού τι εἶναι ἴσον, οὐ ξύλον λέγω ξύλῳ, οὐδὲ λίθον λίθῳ οὐδ' ἄλλο τῶν τοιούτων οὐδὲν, ἀλλὰ παρὰ ταῦτα πάντα ἕτερόν τι, αὐτὸ τὸ ἴσον φῶμέν τι εἶναι ἢ μηδέν;* Nimirum cogitat de idea h. e. de universali aequalitatis notione animo concepta. Itaque Aristoteles, qui saepe illo pronomine ad ideas Platonicas distinguendas a rebus concretis utitur, in metaph. VI, 16 dicit: *ποιοῦσιν οὖν τὰς αὐτὰς* (intell. substantias) *τῷ εἴδει τοῖς φθαρτοῖς (ταύτας γὰρ ἴσμεν), αὐτοάνθρωπον καὶ αὐτόιππον, προστιθέντες τοῖς αἰσθητοῖς τὸ ῥῆμα τὸ αὐτό.* Cui notioni universali si repugnare videtur, quod Plato in iis, quae locum modo adlatum sequuntur, *αὐτὰ τὰ ἴσα* dicit, cum pluralis ipsius aequalitatis cogitatione fingi nequeat, Sallbaumius ad h. l. recte monet, sermonem esse de notione universali aequalitatis non ab uno animo, sed a pluribus cogitata. Mirum vero in modum Plato Alcib. I, 129 B dicit: *τίν' ἂν τρόπον εὑρεθείη αὐτὸ τὸ αὐτό;* Alterum quidem *αὐτὸ* fere idem mihi videtur significare, quod in l. c. Plat. Charmid. 166 B, illud, in quo velut omnis quaestionis cardo vertitur, h. e. universalem condicionem naturae humanae, alterum deinde hanc vim habet, ut illa notio tanquam in semet ipsa se conligat atque ab omnibus, quae sub sensus cadunt, distinguatur. Significatur igitur hac formula id quod vere est semperque sibi constat. Quod quidem Aristoteles videtur esse imitatus in Top. VIII, 11, ubi peccatum in syllogismis esse demonstrans, si quis maioribus argumentis probet, quod minoribus probari possit, exemplo utitur, in quo voce *αὐτό* idealis, ut ita dicam, significatur natura. Neque vero multo aliter apud Plat. Cratyl. 439 A Socrates, cum res tum ex nominibus tum ex se ipsis cognosci possint, interrogat, utra institutionis ratio utilior sit ac planior *ἐκ τῆς εἰκόνος μανθάνειν αὐτήν τε αὐτὴν, εἰ καλῶς εἴκασται, καὶ τὴν ἀλήθειαν, ἧς ἦν ἡ εἰκών, ἢ ἐκ τῆς ἀληθείας αὐτήν τε αὐτὴν καὶ τὴν εἰκόνα αὐτῆς, εἰ πρεπόντως εἴργασται* h. e. ex imagine cum ipsam imaginem per se spectatam, num bene ficta sit, tum veritatem, cuius sit imago, an ex veritate cum ipsam veritatem per se consideratam, tum imaginem eius, num convenienter ficta sit.

Sed longum est singulas notiones, quae e primaria proficiscuntur, enumerare; de quibus si quis uberiora cognoscere cupiat, eum revoco ad Hermanni dissertationem de pronomine *αὐτός*. Iam transimus ad illud ipsum, quod accuratius exponere nobis proposuimus, quam vim habeat *αὐτός*, cum adicitur ad pronomina reflexiva. Latini quidem ipse, quod multi cum Graeco *αὐτός* omnino congruere opinantur, addunt aut nominativo aut eodem casu, quem habet pronomen personale. Auctore Kritzio ad Sall. Cat. XX, 6, ipse nominativo ponitur, si enuntiationis subiectum, quo significatur is, qui aliquam rem facit, ita extollitur, ut alteri, qui eandem rem facere potuisse

videatur sed non fecerit, opponatur; eundem vero casum habet atque pronomen personale, si verbi actio sive praedicatum ita ad obiectum enuntiationis pertinere dicitur, ut id cuivis alii opponatur. Longe aliter Graeci. Cum enim pronomen reflexivum *ἐμαυτοῦ, σεαυτοῦ, ἑαυτοῦ* sit compositum ex pronomine personali et *αὐτός*, ita ut satis appareat, eum qui aliquid agat, eundem esse atque eum, ad quem actio pertineat, illi quidem non solum si subiectum alteri opponitur, verum etiam si obiectum, sive genetivo sive dativo sive accusativo exprimitur, aliquid habet quod ei opponi possit, semper utuntur nominativo pronominis *αὐτός*, immo vero saepissime illud *αὐτός* adiciunt, ubi nequiquam indagaveris quid opponatur. Quem usum nonnullis liceat inlustrare exemplis. Cum Dinarch. I, 80 dicit: *ἐπειδὴ ἤκουσε μετὰ τὴν μάχην τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ Φίλιππον εἰς τὴν χώραν ἡμῶν μέλλειν εἰσβάλλειν, αὐτὸς ἑαυτὸν πρεσβευτὴν κατασκευάσας, ἵν' ἐκ τῆς πόλεως ἀποδραίη* (*ᾤχετο*), sane quidem de alio cogitari potest, qui Demosthenis legandi potestatem habuerit. Contra Socrates in Plat. Gorg. 495 E, postquam Callicli scientiam et virtutem et inter se et a bono differre contendenti se adsentiri negavit, pergit: *οἶμαι δέ γε οὐδὲ Καλλικλῆς, ὅταν αὐτὸς αὑτὸν θεάσηται ὀρθῶς.* Luce clarius est, Socratem putare ne Calliclem quidem in eo, quod dixerit, perseveraturum esse, si suam ipsius sententiam diligentius examinaverit. Quare si quid requiras quod sit contrarium, nihil est nisi aliorum sententia, ita ut illi *αὐτὸν* mente opponatur *ἄλλους*. Re vera autem id, quod contrarium est, adfertur in Xenoph. hist. gr. II, 2, 3, ubi post cladem apud Arginusas acceptam narratur magnum luctum Athenas venisse, *ὥστ' ἐκείνης τῆς νυκτὸς οὐδεὶς ἐκοιμήθη, οὐ μόνον τοὺς ἀπολωλότας πενθοῦντες, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ἔτι αὐτοὶ ἑαυτούς, πείσεσθαι νομίζοντες οἷα ἐποίησαν Μηλίους κτλ.* Multis vero locis nequiquam quaerimus, quid aut opponatur aut possit opponi. In Plat. Lach. 196 B Laches contendit Niciam tergiversari, quod explanationem suam falsam esse fateri nolit; eius modi videlicet deverticula quaerere usui esse, si controversia, quam habeant, apud iudices agatur, *νῦν δὲ τί ἄν τις ἐν ξυνουσίᾳ τοιᾷδε μάτην κενοῖς λόγοις αὐτὸς αὑτὸν κοσμοῖ;* Dicit igitur non esse cur ipsi, qui disputandi causa convenerint, tanquam verborum sententiarumque floribus se conspergant. Num cogitari potest de quoquam, aut qui illum, aut quem ille orationis floribus conspergat? Utrumque animo fingere absurdum est. Ac ne solius accusativi rationem habere videar, Demosthenes orationem in Timocratem sic orditur: *Τοῦ μὲν ἀγῶνος τοῦ παρόντος οὐδ' ἂν αὐτὸν οἴομαι Τιμοκράτην εἰπεῖν ὡς αἴτιός ἐστιν ἄλλος τις αὐτῷ πλὴν αὐτὸς αὑτῷ.* Quibus in verbis ut subiecto alterum opponitur, ita in Xenoph. mem. II, 6, 1 id quod obiecto contrarium est, apponitur: *ὁ γὰρ ὑπὸ τούτων κρατούμενος οὔτ' αὐτὸς ἑαυτῷ δύναιτ' ἂν οὔτε φίλῳ τὰ δέοντα πράττειν.* In Plat. Phaed. 62 D, ubi legitur: *οὐ γάρ που αὐτός γε ἑαυτοῦ οἴεται ἄμεινον ἐπιμελήσεσθαι*, elucet *αὐτὸς* oppositum esse deo, quem hominibus consulere inter Cebetem et Socratem convenit. Contra in Pseudoplat. Alcib. II, 144 C, id quod genetivo contrarium est, cum vi quadam indicatur. Ibi enim Socrates de Oreste: *οὐ γὰρ δήπου οὐδ' ἐκεῖνος τὴν προστυχοῦσαν γυναῖκα οὐδὲ τὴν ὁτουοῦν μητέρα διενοεῖτο ἀποκτεῖναι, ἀλλὰ τὴν αὐτὸς αὑτοῦ.* Atque ut exemplum praepositione formatum addam, Thucydides VI, 60 de illo, qui alio quodam suadente sperabat se periculum, quod ex criminatione violatorum Mercurii simulacrorum immineret, effugiturum esse, si totam rem, sive vera, sive ficta esset, populo indicaret, narrat: *καὶ ὁ μὲν αὐτός τε καθ' ἑαυτοῦ καὶ κατ' ἄλλων μηνύει τὸ τῶν Ἑρμῶν.* Statim apparet in obiecto, quod praepositione *κατά* cum gen. fingitur, contrarium potius quaerendum esse quam in subiecto.

Ex iis igitur quae attuli exemplis cum primum quidem eluceat, illud αὐτός non adici, ut aliquid vel subiecto vel obiecto contrarium esse indicetur, tum vero negari nequit ipsum reflexivum esse causam, cur adiciatur. Accuratius enim considerantes exempla, in quibus praeter obiectum reflexivum inest obiectum non reflexivum, nos effugere non potest illud αὐτός cum solo reflexivo habere necessitudinem. Quid igitur causae esse dicamus? Redeamus illuc, unde profecti sumus, propriam notionem pronominis αὐτός in eo versari, ut aliquid ita commemoretur, ut cum eo, quod repetatur, prorsus unum aliquid efficiat. Atqui cum ipsis pronominibus reflexivis, ut iam supra monuimus, magis quam in Latino sermone unum illud, quod efficitur obiecto et subiecto, indicetur, apparet certe aliquid causae Graecis fuisse, cur vocem αὐτός modo adicerent modo non adicerent. Quodsi in eo adquiescere nolumus, ut propriam illam significationem iterum intendi dicamus, amplius quaerendum est, cur Graecis illa notio augenda esse videatur. Quam disceptationem cum plane cumulateque perfici non posse persuasum haberem nisi satis multis e Graecorum scriptorum libris exemplis indagatis atque inter se comparatis, huic negotio me subducere nolui. Atque singulis locis conlatis hoc satis dilucide perspexisse mihi videor, Graecos tum potissimum illud αὐτός adiecisse, si a c t i o n e m quandam ita ad subiectum referendam esse indicare vellent, ut illa ex eo apta et tanquam in unum cum eo coaluisse videretur. Quod quidem duabus de causis fieri solet, primum, si praedicatum huic tantum rei inservit, ut similia cum similibus, paria cum paribus, eadem cum isdem coniungat, deinde vero si praedicato insolitum aliquid ad subiectum refertur, ita ut obiectum et subiectum prorsus inter se aliena esse videantur. Quare cum Socrates in Plat. Euthyphr. 5 D ex Euthyphrone quaerit: ἢ οὐ ταὐτόν ἐστιν ἐν πάσῃ πράξει τὸ ὅσιον α ὐ τ ὸ α ὑ τ ῷ, καὶ τὸ ἀνόσιον αὖ τοῦ μὲν ὁσίου παντὸς ἐναντίον, α ὐ τ ὸ δὲ α ὑ τ ῷ ὅμοιον καὶ ἔχον μίαν τινὰ ἰδέαν κατὰ τὴν ἀνοσιότητα πᾶν ὅ,τι περ ἂν μέλλῃ ἀνόσιον εἶναι; hoc potissimum urget non agi de singulis actionibus, quae quidem piae dici, sed tamen valde inter se differre possint, sed de universae pietatis notione, quae sit prorsus una. In Plat. Phaed. 78 E Socrates, ubi interrogavit, num homines vel equi vel vestimenta vel alia eiusmodi semper sui paria et similia sint, pergit: ἆρα κατὰ ταὐτὰ ἔχει ἢ πᾶν τοὐναντίον ἐκείνοις οὔτε α ὐ τ ὰ α ὑ τ ο ῖ ς οὔτε ἀλλήλοις οὐδέποτε, ὡς ἔπος εἰπεῖν, οὐδαμῶς κατὰ ταὐτά ἐστιν; Exspectat Cebetem respondere, eius modi res neque sui neque inter se similes esse, significatque, quo modo arta illa necessitudine, qua quid sui par esse dicamus, unum aliquid et sibi constans efficiatur. Contra Isocr. Panath. 224 easdem omnino res, quae nihil inter se differant, aliis utiles aliis noxias esse contendens dicit: καίτοι τὴν μὲν φύσιν ἔχειν ἕκαστον τῶν ὄντων τὴν ἐναντίαν α ὐ τ ὴ ν α ὑ τ ῇ καὶ μὴ τὴν αὐτὴν οὐκ εὔκολόν ἐστιν. Nimirum si res sibi ipsi contraria est, ex una tanquam duae fiunt; eam ob causam Graeci, quae est huius gentis subtilitas, quasi ad disiuncta in unum conligenda addunt pronomen αὐτός. Quod quidem plane cognoscitur ex Heracliti sententia, quae in Plat. symp. 187 A sic adfertur: τὸ ἓν γάρ φησι διαφερόμενον α ὐ τ ὸ α ὑ τ ῷ ξυμφέρεσθαι. Contendit igitur Heraclitus, id quod unum sit, hoc modo disiungi, ut contrarium pugnet cum contrario, ita tamen, ut ea non se tollant invicem, sed ad unum finem tendant atque extremo iterum una fiant. Iam vero interdum fit, ut plurali pronominum vis reciproca oriatur, quae tamen ab illa, quae efficitur pronomine ἀλλήλων, hac re differt, ut res vel personae, quae reciprocantur, semper u n u m aliquid efficiant. In Plat. soph. 230 B, ut exemplum adferam, Socrates distinguit duo institutionis genera, νουθετικήν, quae graviter obiurgat vel etiam admonet, μαιευτικήν, quae vanam doctrinam falsis opinionibus nisam

refutare studet; de iis, qui hoc artis purgatoriae quam vocat genere utuntur, dicit: *ἐπιδεικνύουσιν αὐτὰς ἑαυταῖς ἅμα περὶ τῶν αὐτῶν πρὸς τὰ αὐτὰ κατὰ ταὐτὰ ἐναντίας.* Ostendunt illi quidem opiniones simul de eodem ad idem eodem modo contrarias esse, h. e. inter ipsas pugnare, cum tamen de isdem rebus agant et ad eundem finem spectent et eodem modo se habeant, ita ut illas omnino concordare necesse esse videatur.

Quae cum ita sint, hanc legem statuendam esse putamus: Graeci pronomen *αὐτός* ad reflexiva addere solent, si ex relatione reflexivi periculum redundat, ne subiectum non unum esse videatur, quod quidem fit, si quid idem atque ipsum esse dicunt aut si quid, quod non de more fit, subiecto tribuunt. Cum vero non modo saepe e conexu sententiarum, sed saepius ex arbitrio scriptoris pendeat, utrum *αὐτός* adiciendum an omittendum esse videatur, facile intellegitur, cur eadem verborum structura modo cum illo pronomine modo sine illo inveniatur. Itaque cum *συνειδέναι ἑαυτῷ* haud rarius legatur, quam *συνειδέναι αὐτὸν ἑαυτῷ*, tamen accuratius inquirentem inter eas locutiones aliquid interesse effugere non potest. Conferre liceat Xenoph. instit. Cyri I, 5, 11: *ἐπείπερ σύνισμεν ἡμῖν αὐτοῖς ἀπὸ παίδων ἀρξάμενοι ἀσκηταὶ ὄντες τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἔργων, ἴωμεν ἐπὶ τοὺς πολεμίους* et Antiph. VI, 1 *ἥδιστον μὲν ἀνθρώπῳ ὄντι μὴ γενέσθαι μηδένα κίνδυνον περὶ τοῦ σώματος, καὶ εὐχόμενος ἄν τις ταῦτα εὔξαιτο· εἰ δ' ἄρα τις καὶ ἀναγκάζοιτο κινδυνεύειν, τοῦτο γοῦν ὑπάρχειν, ὅπερ μέγιστον ἐγὼ νομίζω ἐν πράγματι τοιούτῳ, αὐτὸν ἑαυτῷ συνειδέναι μηδὲν ἐξημαρτηκότι.* Uterque loquitur de hominibus, qui conscientia bene factorum erecti rebus adversis obsistant; sed nonne Antiphon eum, qui coactus sit periculum subire, insignem facit atque distinguit ab eo, qui nunquam in vitae periculum inciderit? Nonne hac re conscientiae bene factorum multo plus tribuitur? Neque enim fieri solet, ut is qui coactus vitae periculum subeat, nihil se peccasse sibi conscius sit. In Plat. Phaed. 61 C, ubi legitur: *οὐ μέντοι γ' ἴσως βιάσεται αὐτόν*, secundum ea quae diximus *αὐτός* desideratur. Sed mihi quidem hac de causa videtur esse omissum, quod insolitum, quod erat significandum, iam inest in verbo *βιάζεσθαι*, ubi substituitur pro *ἀποκτείνειν.* Namque *ἑαυτὸν βιάζεσθαι* significat *βίᾳ* sive *αὐτὸν ἑαυτὸν ἀποκτείνειν.* Sic etiam in Soph. Trach. 881 *αὐτὴν διηίστωσε* illud *διά* cum verbo *ἀιστόω* coniunctum non videtur significare omnino, sed potius relationem rerum sibi oppositarum, velut in verbis *διαλέγεσθαι, διαδικάζεσθαι, διαφιλοτιμεῖσθαι*, ita ut hoc loco idem valeat quod *αὐτός.* In iis, quae locum supra e Platonis Phaedone adlatum sequuntur, fere iuxta posita sunt *αὐτὸν ἑαυτὸν ἀποκτιννύναι* et *ἑαυτὸν ἀποκτιννύναι.* Interroganti enim Cebeti (Phaed. 61 E): *κατὰ τί δὴ οὖν ποτε οὔ φασι θεμιτὸν εἶναι αὐτὸν ἑαυτὸν ἀποκτιννύναι;* Socrates monens deos esse dominos hominum respondet (62 C): *ἴσως τοίνυν ταύτῃ οὐκ ἄλογον μὴ πρότερον αὐτὸν ἀποκτιννύναι δεῖν, πρὶν ἀνάγκην τινὰ ὁ θεὸς ἐπιπέμψῃ, ὥσπερ καὶ τὴν νῦν παροῦσαν ἡμῖν.* Nimirum si quis cogitur se interimere, auctoritas, ut ita dicam, interimentis cedit auctoritati cogentis. Neque vero infitior multa exempla inveniri, in quibus iustam causam, cur pronomen modo ponatur modo omittatur, frustra investigare studeamus. Quae infra adferre in animo est.

At si quis forte est, qui a se impetrare non posse videatur, ut ad sententiam nostram de vi pronominis *αὐτός* adiecti ad reflexiva accedat, ei nos persuasuros esse putamus novo, vix quod refelli possit, argumento. Graeci enim verbis activis in passivum commutatis illud *αὐτός*, quod reflexivis adiciendum putant, immutatum retinent, ita ut ei, qui subtiliore huius usus scientia caret,

repugnantia quaedam cogitandi in eo inesse videatur. Exemplum adferam Plat. legg. 626 E: *τὸ νικᾶν αὐτὸν αὐτὸν πασῶν νικῶν πρώτη τε καὶ ἀρίστη, τὸ δὲ ἡττᾶσθαι αὐτὸν ὑφ' ἑαυτοῦ πάντων αἴσχιστόν τε ἅμα καὶ κάκιστον.* Si prius *αὐτός* eam, quam multi volunt, vim distinguendi vel adversandi haberet, in passivo certe dicendum erat *ἡττᾶσθαι ὑφ' ἑαυτοῦ αὐτοῦ*. Nam si huic potissimum rei vim tribuimus, ut aliquis se ipse vincere dicatur, dubium esse non potest, quin idem significetur, si a se ipso vinci dicatur. Apparet igitur *αὐτός* eadem causa adici ad reflexiva, quae coniunguntur cum verbis passivis, qua additur ad reflexiva, quae pendent a verbis activis. Ea vero omnino alia esse non potest quam quae supra adlata est. Hoc dicendi genus haud raro nobis occurrit in scriptoribus tragicis. In Aeschyl. Agam. 836 legitur:

δύσφρων γὰρ ἰὸς καρδίαν προσήμενος
ἄχθος διπλοίζει τῷ πεπαμένῳ νόσον,
τοῖς τ' αὐτὸς αὑτοῦ πήμασιν βαρύνεται
καὶ τὸν θυραῖον ὄλβον εἰσορῶν στενεῖ.

Invidia, ait poeta, animo obrepens geminat dolorem illi, qui eo morbo laborat, cum non solum suis ipsius malis vexetur, verum etiam aliorum bona spectans ingemiscat. Nonne ex iis, quae sibi opponuntur, perspicue intellegitur, poetam adicere *αὐτός*, quod mirum esse doceat, hominem se ipsum vexare. Animo videlicet poetae obversatur *βαρύνει αὐτὸς ἑαυτόν*. Neque aliter Prometheus Ioni quaerenti, a quo Iuppiter privatus sceptro regio futurus sit, respondet, eum suis ipsius vanis consiliis illo privatum iri. Haec sunt verba Aeschyl. Prometh. 762:

Io. *πρὸς τοῦ τύραννα σκῆπτρα συληθήσεται;*
Prom. *πρὸς αὐτὸς αὑτοῦ κενοφρόνων βουλευμάτων.*

Atque etiam vis illa reciproca, de qua supra diximus, invenitur cum verbis passivis. In Aeschyl. Pers. 415 naves Persarum rostris aeneis alias in alias incurrisse hisce indicatur verbis:

αὐτοὶ δ' ὑφ' αὑτῶν ἐμβόλοις χαλκοστόμοις
παίοντ', ἔθραυον πάντα κωπήρη στόλον.

Quod quidem a poeta hoc modo non expressum esse puto, si de navibus et Graecorum et Persarum inter se pugnantibus locutus esset. Docet enim ipsum Persarum exercitum tanquam secum proelium conseruisse. Sophocles quidem eo dicendi genere utitur, cum aliquem ipsum sibi manum intulisse vi quadam ostendit. Sic legitur *αὐτὴ πρὸς αὑτῆς* (intell. *τέθνηκεν*) in Soph. Oed. tyr. 1237 et Trach. 1132, *αὐτὸς πρὸς αὑτοῦ* (intell. *αἱμάσσεται*) in Soph. Antig. 1177. Ex quo usu vitium, quod sine dubio in Soph. Aiac. 905 inest, videtur tolli posse. Choro enim interroganti:

τίνος ποτ' ἆρ' ἔπραξε χειρὶ δύσμορος;

respondet Tecmessa:

αὐτὸς πρὸς αὑτοῦ, δῆλον· ἐν γάρ οἱ χθονὶ
πηκτὸν τόδ' ἔγχος περιπετὲς κατηγορεῖ.

Luce clarius est eius modi responsum non convenire ad illam quaestionem, sed desiderari pro *ἔπραξε* verbum passivum. Quare ne Hermanni quidem coniectura, qua pro *ἔπραξε* substituitur *ἔρξε*, huic loco mederi potest, ne dicam de opinione Nauckii scribere volentis:

τίνος ποτ' ἆρ' ἔρξε χεὶρ τὸ δύσμορον;

Vitium non videtur inesse in solo illo verbo; quare equidem legendum esse suspicor:

τίνος πρὸς αἰτίας ἐχειρώϑη μόρῳ;

Cf. Soph. Oed. tyr. 1236, Trach. 1057, Oed. Col. 903. In Euripidis tragoediis unum eius modi exemplum me legere memini, quod est in Herc. fur. 961, ubi insolitum aliquid subiecto tribui facile intellegitur. Sed falso Dindorfius in Eurip. Androm. 1143 scribit:

πολλοὶ δ' ἔπιπτον μιγάδες ἔκ τε τραυμάτων
αὐτοί ϑ' ὑπ' αὐτῶν στενοπόρους κατ' ἐξόδους.

Recte proponit Is. Vossius ὑφ' αὑτῶν, cum in his verbis eadem insit vis reciproca, quae in versibus supra ex Aeschyli Persis adlatis. Nunquam quod sciam invenitur illud dicendi genus in Aristophanis comoediis, quod in oratione pedestri non satis usui id fuisse demonstrat. Cui sententiae non repugnant nonnulla exempla, quae in Platonis dialogis inveniuntur, cum is ad poetarum dictionem proxime saepe accedat. In Plat. Theaet. 167 E Protagoras distinguens eristicos, qui id ipsum agant, ut alios argutiis suis et quaestiunculis vexent, a dialecticis, quos vult serio in disputando agere, dicit iniuste eum agere, qui in disputando iocetur et in errorem inducat, in disserendo autem serio agat et conloquentem sustentet, eos tantummodo ostendens errores, in quos ipse per se et per superiores sermones inductus fuerit, σφάλματα, ἃ αὐτὸς ὑφ' ἑαυτοῦ καὶ τῶν προτέρων συνουσιῶν παρεκέκρουστο. Neque vero mihi compertum est, num aliud in Platonis dialogis inveniatur exemplum, in quo illud dicendi genus sit coniunctum cum verbo finito; mihi quidem non occurrit. Sed cum infinitivo praeter illud, quod supra e Platonis legibus attulimus, invenitur exemplum in Plat. Cratyl. 428 D, ubi legitur: τὸ γὰρ ἐξαπατᾶσϑαι αὐτὸν ὑφ' αὑτοῦ πάντων χαλεπώτατον. Cum vi reciproca dicit Plat. Phaedr. 232 A: εἰκός ἐστι τοὺς μὲν ἐρῶντας, οὕτως ἂν οἰομένους καὶ ὑπὸ τῶν ἄλλων ζηλοῦσϑαι ὥσπερ αὐτοὺς ὑφ' αὑτῶν, ἐπαρϑῆναί τε λέγειν καὶ φιλοτιμουμένους ἐπιδείκνυσϑαι πρὸς ἅπαντας, ὅτι οὐκ ἄλλως αὑτοῖς πεπόνηται. Neque desideratur exemplum cum participio coniunctum. In Plat. Phaedr. 275 A Thamus Theutae, litterarum inventori, ostendens certiorem esse memoriam, quae nullum extra se subsidium habeat, dicit: τοῦτο γὰρ τῶν μαϑόντων λήϑην μὲν ἐν ψυχαῖς παρέξει μνήμης ἀμελετησίᾳ, ἅτε διὰ πίστιν γραφῆς ἔξωϑεν ὑπ' ἀλλοτρίων τύπων, οὐκ ἔνδοϑεν αὐτοὺς ὑφ' αὑτῶν ἀναμιμνησκομένους. Huc non pertinere videtur Plat. symp. 181 A, ubi Socrates ipsam actionem per se spectatam neque honestam neque turpem esse, sed rationem, qua quidque fiat, ei honestatis vel turpitudinis notam adferre contendit his verbis: πᾶσα γὰρ πρᾶξις ὧδ' ἔχει· αὐτὴ ἐφ' ἑαυτῆς πραττομένη οὔτε καλὴ οὔτε αἰσχρά. Neque enim facere possum, quin adsentiar rationibus Stephani et Astii, qui participium πραττομένη delendum esse censent. Raro autem oratores Graeci constructione passiva usi pronomen αὐτός adiciunt ad reflexiva. Antiph. III (tetr. II) δ, 5 dicit: αὐτός ὑφ' ἑαυτοῦ διέφϑαρται. Demosth. in Timocr. 121 existimat non fortuito Androtioni petulantiam istam et insolentiam esse obortam, sed ira deae inflictam, ut, quem ad modum ii, qui donaria Victoriae consecrata conciderint, ipsis suis manibus perierint, sic etiam isti suis iudiciis, quorum ipsi moderatores sint, pereant, ἵν', ὥσπερ οἱ τὰ ἀκρωτήρια τῆς Νίκης περικόψαντες ἀπώλοντο αὐτοὶ ὑφ' αὑτῶν, οὕτω καὶ οὗτοι αὐτοὶ αὑτοῖς δικαζόμενοι ἀπόλοιντο. Alia exempla cum verbis finitis inveniuntur ap. Isocr. II, 14, Demosth. XLIV in Leoch. 34, cum participiis ap. Dinarch. I, 85, Demosth. LV in Callicl. 21.

Supervacaneum esse puto hoc loco legentes admonere propriae verborum, de quibus sermo est, conlocationis. Cum enim Graeci concordantia verba iuxta ponere consuevissent, factum est,

ut pronomen αὐτός saepius non modo inter articulum et reflexivum, verum etiam inter praepositionem et reflexivum se insinuaret. Quod neminem, qui exempla supra adlata legerit, fugisse arbitror. Rarissime disiunguntur pronomina velut in Plat. Phaedr. 275 E, ubi legitur: αὐτὸς γὰρ οὔτ' ἀμύνασθαι οὔτε βοηθῆσαι δυνατὸς αὑτῷ. Unum tamen exemplum mihi occurrit, in quod inscitia librarii vitium videtur irrepsisse. In Plat. Lach. 188 D dicitur de viro, qui de virtute loquatur, ipseque dignus sit qui vir appelletur: καὶ κομιδῇ μοι δοκεῖ μουσικὸς ὁ τοιοῦτος εἶναι, ἁρμονίαν καλλίστην ἡρμοσμένος οὐ λύραν οὐδὲ παιδιᾶς ὄργανα, ἀλλὰ τῷ ὄντι ζῆν ἡρμοσμένος αὐτὸς αὑτοῦ τὸν βίον σύμφωνον τοῖς λόγοις πρὸς τὰ ἔργα. Hoc loco proprius ille verborum ordo videtur effecisse, ut Plato pro vulgato τὸν αὑτοῦ βίον scriberet αὑτοῦ τὸν βίον. Sed nusquam pronomen αὐτός hanc vim habere invenio, ut verborum conlocationem, quae dicitur attributiva, commutet in eam, quae dicitur praedicativa. Quare mihi quidem veri simillimum est librarium conlocationis, quam modo indicavimus, inscium verba transposuisse, ita ut scribendum sit: τὸν αὐτὸς αὑτοῦ βίον, perinde atque in loco supra ex Alcib. II, 144 C: τὴν αὐτὸς αὑτοῦ (μητέρα).

Sed mittamus ea; iam transeamus ad rem, quae grammaticos multum vexavit vexabitque. Omissis enim de consulto exemplis, quae ad primam vel secundam personam spectant, alia non attuli, nisi quae ad tertiam pertinent, propterea quod proprium aliquid ac singulare in illis cernitur. Ac primum quidem tenendum est, illud dicendi genus multo saepius inveniri, cum de tertia persona sermo est, quam cum prima vel secunda loquitur. In ipsis quidem Platonis dialogis atque in tragoedorum comoedorumque fabulis, in quibus persaepe facultas dabatur huius formulae usurpandae, raro occurrit. Nec mirum. Cum enim in sermonis commercio alter se ipsum e cetero rerum ordine eximat et alterum, qui ipsius verba excipiat, sibi opponat, fieri non potest, quin maiore, ut ita dicam, perspicuitate aliquid a prima et secunda persona agi vel dici videatur, quam cum praeter loquentem et audientem tertia persona, quae admodum varia atque incerta comprehendit, ita commemoratur, ut aliquid ad se referat ac revocet. Alia vero causa, cur pronomen αὐτός rarius coniungatur cum reflexivis primae et secundae personae, inde repetitur, quod cum alias tum maxime in hoc ipso dicendi genere saepe tertia persona locum primae et secundae obtinet. Quod quidem Schmidtius l. c. p. 21 recte videtur explicare, cum pronomen reflexivum antiquitus etiam ad primam et secundam personam pertinuisse ex ingenio et sentiendi cogitandique ratione, qua homines in primis illis temporibus, quibus lingua humana nata est, utebantur, satis perspicue demonstret atque explanet. »Illi enim, inquit, qui simplici et rudi vitae genere utebantur, nihil aeque quam ea animadvertebant atque curabant, quae ad ipsos vim aliquam habebant. Itaque in omnibus, quae agebant, illud inprimis intuebantur, an actio ad ipsos esset referenda et quasi reciprocaretur, eamque notionem voce et lingua, utpote quae est animi humani imago, exprimere conabantur. Itaque ii populi, qui nobiscum e communi quadam stirpe profecti sunt, non solum in verbis genus, quod vocatur medium, invenerunt, quo actionem ad subiectum agens referri et vim reciprocam habere significarent, verum etiam pronominis formam quandam excogitaverunt, qua ad idem nomen agens sententiam referendam esse declararent, id quod vocamus pronomen reciprocum« (nos vulgo reflexivum). »Atqui nulla potest causa indagari, cur antiquitus tertiae tantum personae, non omnium, pronomen reciprocum repertum esse putemus. Omnium enim personarum unum tantum pronomen invenerunt propterea, quod ex antecedente nomine, quaenam persona intellegenda esset, cognosci potuit«. Atque quod ratione ductus statuit, pro-

nomen reflexivum omnibus personis significandis antiquitus inservisse, id etiam plures linguas cum Graeca cognatas, inprimis Polonicam et Letticam, testificari ostendit. Neque illud praetermittendum esse monet ne in Latina quidem lingua vestigia eius usus nequiquam indagari; namque pronomen ipse, quod quin ex pronomine is et radice pronominis reflexivi sve per metathesin ortum sit nemo est qui dubitet, non modo cum omnibus personis coniungitur, verum etiam omnium personarum locum obtinere potest. Illum vero usum moribus humanis magis excultis sensim evanuisse, non est quod miremur, praesertim cum obscuritas quaedam in illo dicendi genere inesset. Quod vero Apollonius de synt. (ed. Sylburg.) III, 1, itemque de pronom. l. c. p. 360 C. contendit, pronomen reflexivum tertiae personae plurali numero ad primam et secundam personam referri posse, sed in singulari hunc usum non probari, ita ut non dicatur *ἑαυτὸν ὕβρισα* vel *ἑαυτὸν ὕβρισας,* sed tamen dicatur *ἑαυτοὺς καθυβρίσαμεν,* perspicuum est, eum orationis pedestris rationem habere, cum etiam hanc constructionem propter mutationem personarum soloecismum vocet. Re vera Attici scriptores, qui accurato dicendi generi operam navabant, illam Apollonii legem videntur esse secuti. Namque quod in Plat. Lach. 200 B legitur: *σὺ μὲν οὖν μοι δοκεῖς ὡς ἀληθῶς ἀνθρώπειον πρᾶγμα ἐργάζεσθαι, οὐδὲν πρὸς αὐτὸν βλέπειν ἀλλὰ πρὸς ἄλλους,* hac de causa huc non pertinet, quod *οὐδὲν πρὸς αὐτὸν βλέπειν* epexegetice cum antecedentibus coniunctum in universum de omnibus hominibus accipiendum est. Sed tamen id exemplum, cui simile est Plat. Charmid. 165 D *ἐπειδὴ φῂς αὐτήν* (intell. *τὴν σωφροσύνην*) *ἑαυτοῦ ἐπιστήμην εἶναι,* medium quendam locum obtinet atque transducit ad exempla, qualia sunt Plat. Phaed. 91 C et Protag. 312 A. In priore loco, ubi legitur: *εὐλαβούμενοι ὅπως μὴ ἐγὼ ὑπὸ προθυμίας ἅμα ἑαυτόν τε καὶ ὑμᾶς ἐξαπατήσας ὥσπερ μέλιττα τὸ κέντρον ἐγκαταλιπὼν οἰχήσομαι,* Stallbaumius pro *ἑαυτὸν* scripsit *ἐμαυτόν,* quod quamvis *ἑαυτοῦ* apud Atticos reperiatur etiam de prima et secunda persona positum, tamen propter oppositum *ὑμᾶς* praeferendum videri dicit, cum codices meliores omnes id praebeant. In posteriore autem loco, ubi interrogatur: *οὐκ ἂν αἰσχύνοιο εἰς τοὺς Ἕλληνας αὑτὸν σοφιστὴν παρέχων;* pronomen *αὑτὸν* retinendum videtur, quoniam nonnulli libri manu scripti *σαυτὸν,* quod recepit Bekkerus, ex correctura praebent. Ego quidem hac in re observatione dignum esse puto, in illis exemplis pronomen tertiae personae non referri ad verbum finitum, sed modo ad infinitivum modo ad participium; hac enim relatione vinculum, quod obiectum cum subiecto copulat, tanquam relaxatur atque expeditur, ita ut tertia persona pro prima et secunda aliquid in se habeat excusationis. Alii vero scriptores sine dubio ab Apollonii lege recedunt, inprimis Isocrates, qui tertia persona reflexivi in singulari numero pro prima vel secunda utitur II, 14; 38; XI, 47 (cum verbo finito); I, 21 bis, V, 149 (cum part.); I, 14, V, 129, XV, 145, epist. II, 3 (cum inf.).

Sed a proposito aberrare mihi videor, si copiosius de hoc usu disputem; quare redeo ad illa exempla, in quibus adiecto pronomine *αὐτός* reflexivum tertiae personae locum obtinet primae vel secundae. Atque adiectum illud *αὐτός* videtur antiquitus hanc vim habuisse, ut et in singulari et in plurali numero tertia persona reflexivi semper poneretur pro utraque altera. Itaque in Aeschyl. Choeph. 221 Orestes dicit:

αὐτὸς καθ' αὑτοῦ τἄρα μηχανορραφῶ.

Sic enim cum Bothio contra auctoritatem librorum, qui *αὐτοῦ* exhibent, legendum esse censeo; namque satis multis apud tragicos poetas locis conlatis dubium esse nequit, quin ubique reflexi-

vum pronomen scribendum sit, praesertim cum multa illa exempla apud Isocratem reliquosque scriptores illum dicendi usum comprobent. Etiam in constructione passiva, de qua supra diximus, haec personarum commutatio cernitur. Namque in Aeschyl. Sept. 194 Eteocles dicit:

αὐτοὶ δ' ὑφ' αὑτῶν ἔνδοθεν πορθούμεθα.

In uno exemplo utitur Aeschylus pronomine reflexivo secundae personae. In Aeschyl. Prometh. 1073 Mercurius Oceanides hisce verbis adhortatur, ne fortunam accusent:

μηδέ ποτ' εἴπηθ'
ὡς Ζεὺς ὑμᾶς εἰς ἀπρόοπτον
πῆμ' εἰσέβαλεν· μὴ δῆτ', αὐταὶ δ'
ὑμᾶς αὐτάς.

Etiam Sophocles excepto uno exemplo semper, ubi adicitur *αὐτός*, utitur tertia persona reflexivi. In Soph. Aiac. 1132 Teucro monenti Menelaum peccare in deos, si mortuos non sepelicat, hic respondet:

τούς γ' αὐτὸς αὑτοῦ πολεμίους·

(intell. *οὐκ ἐῶ θάπτειν.*) Et in Soph. Oed. tyr. 137 Oedipus miserabiliter verae condicionis imperitus se non alienorum amicorum, sed sua ipsius causa hoc nefarium scelus exstincturum esse minatur his verbis:

ὑπὲρ γὰρ οὐχὶ τῶν ἀπωτέρω φίλων,
ἀλλ' αὐτὸς αὑτοῦ, τοῦτ' ἀποσκεδῶ μύσος.

Alia eius modi exempla sunt Soph. Oed. Col. 853, 930, 1356, Electr. 285, Trach. 450. Positum est pronomen reflexivum primae personae adiecto *αὐτός* in Soph. Oed. Col. 1310, ubi Polynices exclamat:

σοὶ προστροπαίους, ὦ πάτερ, λιτὰς ἔχων,
αὐτός τ' ἐμαυτοῦ ξυμμάχων τε τῶν ἐμῶν.

Sine pronomine *αὐτός* invenitur *καθ' αὑτόν* pro *κατ' ἐμαυτόν* in Soph. Oed. Col. 966. Euripidis quidem aetate hoc dicendi genus poetis potissimum concessum magis magisque evanuit. Unum huius modi exemplum idque in plurali numero invenio apud Euripidem, nullum apud Aristophanem. In Eurip. Heracl. 143 Copreus: Aequum est, inquit, nos, qui nobis ipsis urbem incolamus, eosdem ratas facere leges:

δίκαιοι δ' ἐσμὲν οἰκοῦντες πόλιν
αὐτοὶ καθ' αὑτῶν κυρίους κραίνειν νόμους.

Exempla, in quibus pronomen reflexivum primae vel secundae personae coniunctum cum pronomine *αὐτός* usurpatur, sunt Eurip. Med. 51, Bacch. 614, Aristoph. nub. 1454, resp. 357, Lysistr. 1125, ran. 630. In pedestri autem oratione pronomen reflexivum tertiae personae coniunctum cum pronomine *αὐτός* pro prima vel secunda rarissime invenitur. Andocides quidem in or. de myst. 114 dicit: *εἰ γὰρ ἔθηκα μὲν τὴν ἱκετηρίαν, ὑπήκουσα δὲ μή, ἄλλο τι ἢ αὐτὸς μὲν αὑτὸν ἀπώλλυον τιθεὶς τὴν ἱκετηρίαν, ἐσωζόμην δὲ τῇ τύχῃ διὰ τὸ μὴ ὑπακοῦσαι, δῆλον ὅτι διὰ τὼ θεώ;* Atque Xenophon hist. gr. I, 1, 28 neglegentia quadam dicendi, quae in duobus primis eius libris compluribus locis cernitur, hanc personarum commutationem sibi concessit. Cum duces Syracusanorum se domi exilio multatos esse audissent, iusserunt milites alios sibi duces eligere; qui cum eos iterum duces crearent, illi eos adhortati sunt, ne rebellarent; *εἰ δέ τις ἐπικαλοίη τι αὐ-*

τοῖς, λόγον ἔφασαν χρῆναι διδόναι, μεμνημένους ὅσας τε ναυμαχίας αὐτοί τε καθ' αὑτοὺς νενικήκατε καὶ ναῦς εἰλήφατε κτλ. Quae commutatio personarum hac re facta est, quod scriptor nullis verbis interpositis ab oratione quae vocatur indirecta statim transit ad directam.

Satis mihi multa verba fecisse videor, quam vim habeat pronomen αὐτός, cum adiciatur ad reflexiva; restat, ut quo verborum sententiarumque conexu Graeci eo usi sint, singulis exemplis ostendam. Quam rem sic instituam ut primum ea verba adferam, quae efficiant, ut pronomen αὐτός reflexivis addatur, deinde praepositiones perlustrem, quibuscum coniuncta pronomina illa certas quasdam dicendi formulas effingant, denique pauca disputem de pronomine αὐτός apud comparativum et superlativum coniuncto cum reflexivis.

A. Verba cum accusativo coniuncta.

a) Hoc in numero primum refero ea verba, quae non per se, sed coniuncta cum accusativo praedicativo efficiunt, ut relatio accusativi obiectivi mira videatur. Cf. Plat. Phaedr. 258 C: ἆρ' οὐκ ἰσόθεον ἡγεῖται αὐτός τε αὑτὸν ἔτι ζῶν; Isocr. III, 38: αὐτοὶ δ' αὑτοὺς μὴ σωφρονεστέρους τῶν ἀρχομένων παρέχουσιν. Isocr. VIII, 11: αὐτοὶ δ' αὑτοὺς κοινοὺς ἀμφοτέρους ἀκροατὰς παράσχοιεν. Dinarch. I, 80: αὐτὸς ἑαυτὸν πρεσβευτὴν κατασκευάσας. Dinarch. I, 81: πρεσβευτὴν αὐτὸς αὑτὸν προβαλόμενος.

b) Verba, quae significant se ipsum movere quaeque huic notioni finitima sunt. Cf. Plat. Phaedr. 245 D: οὕτω δὴ κινήσεως μὲν ἀρχὴ τὸ αὐτὸ αὑτὸ κινοῦν. Sic etiam Plat. Charmid. 168 E, Cratyl. 430 A, legg. 894 D, E, 895 C, 896 A, Aristot. phys. ausc. VIII, 5 p. 257. Omissum est αὐτός in Plat. Phaedr. 245 D, ubi nonnulli tamen codices illud pronomen addunt, Plat. legg. 894 B, C. Finitimum huic notioni est στρέφειν αὐτὸ αὑτό, quod legitur in Plat. polit. 269 E, φέρειν αὐτὸ αὑτό, quod est in Pseudoplat. epin. 988 C. Proxime accedit, quod legitur in Plat. Euthyd. 286 C, ubi Socrates de Pythagorae sententia, unam quamque rem, prouti sensibus appareat, aliam esse, dicit: ἐμοὶ δὲ ἀεὶ θαυμαστός τις δοκεῖ εἶναι καὶ τούς τε ἄλλους ἀνατρέπων καὶ αὐτὸς αὑτόν. Cui verbo simile est μεταβάλλειν αὐτὸν αὑτόν, quod invenitur in Plat. republ. 381 B. Huc etiam pertinet Aristoph. nub. 980, ubi defensor iuris ad insolentiam adulescentium dicit:

οὐδ' ἂν μαλακὴν φυρασάμενος τὴν φωνὴν πρὸς τὸν ἐραστὴν
αὐτὸς ἑαυτὸν προαγαγεύων τοῖς ὀφθαλμοῖς ἐβάδιζεν.

c) Verba, quae significant se ipsum interimere vel violare. Sunt haece: ἀποκτιννύναι αὐτὸν ἑαυτόν, Plat. Phad. 61 E, 62 C, διαφθείρειν in passivo, Antiph. III (tetr. 2), δ, 5, ἀπολλύναι cum personarum commutatione Andoc. I, 114, in passivo Demosth. in Timocr. 121; omissum est αὐτός apud ἀπολλύναι ab Isocr. XII, 55, 158, 162; positum est apud κατακάειν Aristoph. nub. 407, ἐξωθεῖν Eurip. Bacch. 614, ἀποστερεῖν Antiph, VI, 5, Lys. XXXI, 33; omissum est ab Lys. XXXIV, 8, ubi σφᾶς αὐτοὺς verbo adiectum est. Cf. Soph. Oed. tyr. 1381, ubi in versu

ἀπεστέρησ' ἐμαυτὸν αὐτὸς ἐννέπων

vulgo post ἐμαυτόν falso interpungitur. Huc etiam pertinet καθιστάναι εἰς κίνδυνον Isocr. XVIII, 39, cui simile est Aeschyl. Prometh. 1073, de quo supra diximus; omissum est αὐτός in eius modi verborum coniunctione a Lys. V, 4, Isocr. VI, 52, 107. Neque praetermittendum videtur Soph. Philoct. 1341, ubi de Heleno vate, qui vaticinatus erat fore ut Troia anno insequenti caperetur, dicitur:

ἢ δίδωσ᾽ ἑκὼν
κτείνειν ἑαυτὸν, ἣν τάδε ψευσθῇ λέγων;

namque illud ἑκών eandem fere vim habet quam pronomen αὐτός. Addo Soph. Antig. 1315, ubi legitur:

παίσασ᾽ ὑφ᾽ ἧπαρ αὐτόχειρ αὑτήν.

d) Verba, quae significant se ipsum vincere. Sunt νικᾶν et ἡττᾶσθαι Plat. legg. 626 E, 628 C, Menex. 243 D, πείθειν Antiph. I, 22, VI, 47, Plat. Theaet. 148 E; omissum est αὐτός apud πείθειν cum prima persona ab Isocr. V, 22; epist. III, 1, Aeschin. I, 45; positum apud παραμυθεῖσθαι Plat. Protag. 346 B, ἐξελέγχειν Plat. Euthyd. 293 E, Isae. VI, 46, Demosth. LIX, 125, in pass. Antiph. VI, 31; αἱρεῖν in pass. Dinarch. I, 85.

e) Se ipsum factis vel dictis adiuvare quaeque sunt contraria. Cf. Soph. Oed. Col. 853, ubi Creon ad Oedipodis obstinationem indicandam hisce verbis eum adloquitur:

χρόνῳ γὰρ, οἶδ᾽ ἐγὼ, γνώσει τάδε
ὁθούνεκ᾽ αὐτὸς αὑτὸν οὔτε νῦν καλὰ
δρᾷς, οὔτε πρόσθεν εἰργάσω βίᾳ φίλων.

Sic etiam εὖ ποιεῖν Plat. Phaed. 62 A. Contra omissum est αὐτός apud ὠφελεῖν a Lys. IX, 16, Isocr. V, 36, cum prima persona Isocr. II, 12. Porro huc pertinent φυλάττειν Plat. Gorg. 480 A, ἐπαινεῖν ib. 485 A, κοσμεῖν Plat. Lach. 196 B, πενθεῖν Xenoph. hist. gr. II, 2, 3, αἰτιᾶν Aristoph. ran. 630, καταισχύνειν Soph. Oed. Col. 930. Omissum est αὐτός apud ἐπαινεῖν a Lys. VII, 40, ubi σφᾶς αὐτοὺς verbo adiectum est, apud ἐγκωμιάζειν Lys. VII, 40, Aeschin. III, 241, apud καταισχύνειν Aeschin. I, 54, 70, 94.

f) Se ipsum cognoscere quaeque sunt cognata vel contraria. Sunt haece: γιγνώσκειν Plat. Charmid. 165 B, 167 A, 169 E, ἀγνοεῖν ib. 164 D, Pseudoplat. epin. 988 B. Omissum est αὐτός apud γιγνώσκειν in Plat. Alcib. I, 133 C, Isocr. XII, 230, apud ἀγνοεῖν Thuc. II, 49, Plat. rival. 138 A, cum secunda persona Xenoph. mem. III, 7, 9. Porro huc pertinent θεᾶσθαι Plat. Gorg. 495 E, ἀξιοῦν Isae. I, 51, αἱρεῖσθαι Aristot. pol. IV, 14, διατιθέναι Isocr. XII, 265, παραδιδόναι Plat. Euthyd. 292 D, ἐρωτᾶν Plat. Theaet. 190 A, καλεῖν Plat. Cratyl. 400 D, Demosth. XXXIX, 2, παρακαλεῖν in pass. cum secunda pers. Isocr. II, 14, παιδεύειν Soph. Trach. 450, Plat. legg. 659 C. Omissum est αὐτός apud ἀντερωτᾶν cum secunda pers. ab Aeschin. III, 226.

B. Verba cum dativo coniuncta.

a) Primum commemoranda sunt multa illa verba, quae significant sibi ipsi utilitati vel detrimento esse. Cf. verba, quae sub A, e adlata sunt. In hoc numero refero βοηθεῖν αὐτὸν ἑαυτῷ Plat. Gorg. 483 B, 486 B, Euthyd. 273 C (omissum est αὐτός apud βοηθεῖν a Lys. XX, 17), οὔτε ἀμύνασθαι οὔτε βοηθῆσαι Plat. Phaedr. 275 E, ὠφέλιμον εἶναι Thuc. VII, 64, χρήσιμον εἶναι Plat. legg. 819 C, Demosth. XXXVI, 58, χρῆσθαι Plat. Gorg. 465 C (omissum est αὐτός apud hoc verbum ab Aeschin. III, 57), εὔνουν εἶναι Lys. XX, 17, εὔξασθαι Pseudopl. Alcib. II, 143 C, σοφὸν εἶναι Plat. Hipp. mai. 283 B, φέρειν Demosth. XXV, 81, ξυμφέρειν Plat. republ. 342 B, πορίζεσθαι Demosth. Chers. 22, 23, κατασκευάζειν Demosth. L, 36, Aeschin. III, 145, φήμην παρασκευάζειν Aeschin. I, 48, ἐργάζεσθαι Demosth. XXXVI, 51, νόμον τιθέναι Plat. symp. 181 E,

Antiph. V, 13, Demosth. XLVI, 23, *νομοθετεῖν* Demosth. LVI, 12, *κυρίαν ποιεῖσθαι* Demosth. Mid. 92, *ἀποφαίνειν* Plat. legg. 767 B, *λαγχάνειν τοῦ κλήρου* Isae. VI, 57, *πόνον προστάττειν* Eurip. Io. 1176, *θάνατον τιμᾶν* Demosth. XXXII, 15, *μνησικακεῖν* Andoc. I, 95. Neque aliena sunt verba, quibus in Eurip. Med. 51 paedagogus adloquitur nutricem:

τί πρὸς πύλαισι τήνδ' ἄγουσ' ἐρημίαν
ἕστηκας, αὐτὴ θρεομένη σαὐτῇ κακά;

Cf. etiam Aristoph. equit. 545, 1223.

b) Sibi ipsi placere vel sufficere. Saepe invenitur verbum *ἀρέσκειν* coniunctum cum pronomine *αὐτός* et reflexivo. Cf. Plat. Phaed. 101 E, Protag. 335 A, republ. 341 D, Theaet. 177 B. Simile est quod legitur in Pseudoplat. Alcib. II, 145 C: *φρόνιμόν γε αὐτὸν φήσομεν καὶ ἀποχρῶντα ξύμβουλον καὶ τῇ πόλει καὶ αὐτὸν αὐτῷ.* Qui locus ansam videtur praebuisse ad corruptionem verborum, quae sequuntur in 146 B, ubi post *λυσιτελούντως ἡμᾶς ἕξειν* verba *καὶ τῇ πόλει καὶ αὐτὸν αὐτῷ* delenda esse apparet. Porro autem huc referenda sunt *ἱκανοὺς εἶναι* Plat. Protag. 347 D, *πιστεύειν* Plat. Phaed. 83 A (omissum est *αὐτός* apud hoc verbum a Lys. XVI, 2 cum prima persona, XX, 22 cum tertia) *αὐτάρκης* Plat. republ. 387 D, *ἐπᾴδειν* Plat. legg. 665 C.

c) Sibi ipsi imperare quaeque ex hac notione proficiscuntur. Quo in numero refero *ἐπιστατεῖν αὐτὸν αὐτῷ* Plat. Gorg. 465 A, *κύριον καθεστάναι* Isocr. XI, 13, *κρίνειν* Plat. Theaet. 179 A, *ὁρίζειν* Demosth. LVI, 27. Similiter dicit Antiph. I, 12: *αὐτοὶ δέ σφισιν αὐτοῖς οὐκ ἠξίωσαν δικασταὶ γενέσθαι.* Idem apud Demosth. XXX, 2, *δικάζειν* XLIII, 5, *μάρτυρα ὑπάρχειν* XIX, 319, *μαρτυρεῖν* Demosth. XLVI, 9. Neque ab his verbis abhorrere videtur Aristoph. nub. 1454, ubi chori magistra Strepsiadae dicit:

αὐτὸς μὲν οὖν σαὐτῷ σὺ τούτων αἴτιος.

Idem apud Lys. VI, 43, Aeschin. I, 3, 193, Demosth. in Timocr. 1, XXXVII, 6.

d) Sibi ipsi par vel simile esse. Multa eius modi exempla exstant apud philosophos, velut *αὐτὸ αὐτῷ εἶναι* Plat. Euthyphr. 5 D, *ἴσον* Plat. Theaet. 155 A, *ὁμολογεῖσθαι* Plat. Phaedr. 265 D, Alcib. I, 111 C, 112 A, legg. 746 C, Isocr. XV, 263 (omissum est *αὐτός* ab Isocr. II, 17, ubi verbo adiectum est *σφίσιν αὐτοῖς*), *ὅμοιον εἶναι* Plat. Lys. 214 C, *ὁμοίως ἔχειν* Plat. Theaet. 154 A, *ὁμοιότης τοῦ οὐρανοῦ αὐτοῦ ἑαυτῷ* Plat. Phaed. 109 A, *ξυγγενές* Plat. symp. 210 C, *οἰκεῖον καὶ ξυγγενές*, Plat. republ. 470 C, *ξύμφωνα* ib. 380 C, *ξυμφέρεσθαι* Plat. symp. 187 A, *ξυνδεδέσθαι* ib. 202 E, *συννομίζειν* Plat. Mino. 316 D, *συνεῖναι* Plat. Protag. 348 A, *συμβαίνειν* Xenoph. hist. gr. I, 2, 17, *παρατάττεσθαι* Isocr. XIX, 38.

e) Sibi ipsi contrarium esse. Saepissime invenitur *ἐναντίον αὐτὸν ἑαυτῷ εἶναι.* Cf. Plat. Phaed. 78 E, soph. 230 B, Isae. VI, 58, Isocr. XII, 224, Demosth. in Timocr. 65, *ἐναντία αὐτὸν ἑαυτῷ λέγειν* Plat. apol. 27 A, Gorg. 482 D, 487 B, Protag. 339 B, 340 B, C, Meno. 82 A, 96 A, Hipp. min. 371 A, Euthyphr. 6 A (omissum est *αὐτός* in Plat. legg. 719 C), *ἐναντιοῦσθαι* Plat. Cratyl. 419 A, *ἐναντιολογεῖν* Plat. soph. 268 B, *ἐναντίως δοξάζειν* Aristot. top. I, 11, *οὐχ ὁμονοεῖν* Plat. republ. 352 A, *ἀνόμοιον καὶ διάφορον* Plat. Lys. 214 D, E, *στασιάζειν* Plat. republ. 556 E, 603 D, *πολέμιον* Plat. soph. 243 A (omissum est *αὐτός* apud *πολεμεῖν* ab Isocr. VIII, 118, ubi verbo adiectum est *σφίσιν αὐτοῖς*), *μάχεσθαι* Plat. Theaet. 155 B, *συναγωνίζεσθαι* Demosth. XLIII, 9.

d) Sibi ipsi conscium esse. Cf. verba, quae sub A, f, adlata sunt. Modo ponitur *αὐτός*

apud eius modi verba, modo omittitur. Positum est apud *συνειδέναι* ab Antiph. VI, 1, 5, Isocr. III, 51, Demosth. Phil. II, 17, IV, 12, cum secunda persona in Plat. Theaet. 206 A, apud *γνωρίμους εἶναι* in Plat. legg. 738 D.

C. Verba cum genetivo coniuncta.

a) Primum commemoranda sunt verba transitiva, quae non per se, sed addito obiecto, quod genetivo pronominis reflexivi ad subiectum redire atque in eius possessione esse indicatur, efficiunt, ut relatio ad subiectum mira videatur. Sic in Eurip. Heracl. 814 servus Eurystheum quamquam sit dux ignaviae incusat his verbis:

ὁ δ' οὔτε τοὺς κλύοντας αἰδεσθεὶς λόγων
οὔτ' αὐτὸς αὑτοῦ δειλίαν, στρατηγὸς ὤν,
ἐλθεῖν ἐτόλμησ' ἐγγὺς ἀλκίμου δορός.

Atque in Soph. Oed. Col. 1356 Oedipus Polynicen hisce adloquitur verbis:

τὸν αὐτὸς αὑτοῦ πατέρα τόνδ' ἀπήλασας.

Cf. Soph. Ai. 1332, Oed. Col. 930, 1356, Trach. 910. Eodem modo in Plat. Cratyl. 386 D Socrates rerum naturam non esse indicandam ex sensuum nostrorum perceptione, sed eam per se consistere demonstrans singulas res vocat *αὐτὰ αὑτῶν οὐσίαν ἔχοντα.* Neque dissimile est, quod legitur in Plat. republ. 548 A: (*ἡ πολιτεία*) *αὐτὴ ἑαυτῆς αὖ τὰ πολλὰ τῶν τοιούτων ἴδια ἕξει;* Cf. Plat. Lach. 186 B, 188 D, Cratyl. 428 D, Theaet. 161 D, E, legg. 865 C, 927 D, Pseudoplat. Alcib. II, 144 C, Xenoph. mem. I, 2, 54, Antiph. III (tetr. 2) *δ*, 9, Aeschin. III, 233. Occasione oblata adfero etiam ex Soph. Antig. 52: *αὐτὸς αὐτουργῷ χερί*, non quo cum superioribus exemplis omnino congruat, sed quia idem est quod *τῇ αὐτὸς ἑαυτοῦ χερί.*

b) Verba, quae significant sui ipsius curam habere quaeque sunt contraria. Cf. verba, quae sub A, e, et B, a adlata sunt. Huc pertinent *ἐπιμελεῖσθαι αὐτὸν ἑαυτοῦ* Plat. Phaed. 62 D, *ἐπιμέλειαν ἔχειν* Plat. soph. 274 D, *ἀμελεῖν* Plat. symp. 216 A, *ἐπιλανθάνεσθαι* Plat. apol. 17 A, *ἐρᾶν* Plat. symp. 184 B, *φύλακα εἶναι* Plat. republ. 367 A. Mirum in modum in Plat. legg. 633 C Megillus dicit Lycurgum invenisse *αὐτοῖς ἑαυτῶν διακονήσεις*, ubi *αὐτοῖς* pendet a substantivo *διακόνησις.*

c) Sui ipsius compotem esse. Cf. verba, quae sub A, d et B, c adlata sunt. Exemplo inserviat Aristoph. vesp. 357:

ἥβων γὰρ κἀδυνάμην κλέπτειν, ἴσχυόν τ' αὐτὸς ἐμαυτοῦ.

Sic etiam *ἄρχειν αὐτὸν αὑτοῦ* Plat. Gorg. 491 D, legg. 627 E, *ἐγκρατής* Plat. republ. 443 D, legg. 645 E, *ἔχειν* Plat. republ. 571 D, *κύριον εἶναι* Isocr. IV, 127, X, 25, *κύριον γίγνεσθαι* Demosth. LIX, 66. Omissum est *αὐτός* apud *ἄρχειν* cum secunda pers. ab Isocr. II, 29.

d) Contra se ipsum aliquid facere vel dicere. Sunt multa illa verba cum praepositione *κατά* composita. Quo in numero refero *καταγιγνώσκειν αὐτὸν αὑτοῦ* Antiph. IV (tetr. 3) *δ*, 1, Isocr. III, 13, Lycurg. in Leocr. 145, Demosth. XXXIX, 37, *κατειπεῖν* Antiph. V, 69, Demosth. XLVIII, 16, *κατηγορεῖν* Aeschin. II, 69, Demosth. XXXVIII, 26, *κατήγορον γίγνεσθαι* Demosth. XXIV, 62, XLV, 2, 40, *καταμαρτυρεῖν* Demosth. XIX, 120, 240, XLIII, 47, *καταγελᾶν* Plat. legg. 686 D. Omissum est *αὐτός* apud *κατηγορεῖν* a Lys. VIII, 8, apud *καταψηφίζεσθαι* cum secunda pers. ab Isocr. XV, 297.

e) A se ipso differre. Cf. verba, quae sub B, e adlata sunt. Huius generis mihi nullum verbum occurrit nisi *διαφέρειν αὐτὸν αὑτοῦ* in Plat. republ. 526 D, 598 A, Isocr. XV, 199.

f) Sui ipsius scientiam habere. Cf. verba, quae sub B, f adlata sunt. Huius quoque generis verba raro inveniuntur coniuncta cum pronomine *αὐτός* et reflexivis. Cf. Plat. Alcib. I, 114 E, ubi legitur: *ἐὰν μὴ αὐτὸς σὺ σαυτοῦ ἀκούσῃς, ὅτι τὰ δίκαια συμφέροντά ἐστιν, ἄλλῳ γε λέγοντι μὴ πιστεύσῃς.* Atque in Plat. Charmid. 166 C: *ἡ δὲ μόνη (σωφροσύνη) τῶν τε ἄλλων ἐπιστημῶν ἐπιστήμη ἐστὶ καὶ αὐτὴ ἑαυτῆς.* Neque praetermittendum est, quod in Aristoph. Lysistr. 1125 dicit ipsa Lysistrata:

αὐτὴ δ' ἐμαυτῆς οὐ κακῶς γνώμης ἔχω.

Quoniam ostendimus, quo verborum sententiarumque conexu pronomen *αὐτός* reflexivis adiciatur, iam transimus ad praepositiones, quae cum illis pronominibus coniunctae saepissime certas quasdam dicendi formulas effingunt. Etsi eadem fere cum his formulis coniunguntur verba, quae modo attulimus, tamen perspicuum est regionem iis definitam non tam artis terminis saeptam esse, quia vinculum, quod rem vel personam aliquam praepositione cum subiecto copulat, solutius est vinculo, quo ipse casus iungitur cum subiecto. Iam singulas perstringam praepositiones.

εἰς. Plat. Phaed. 80 E, cum animum post mortem corporis in semet ipsum conlectum vocat his verbis: *φεύγουσα αὐτὸ* (intell. *τὸ σῶμα*) *καὶ συνηθροισμένη αὐτὴ εἰς αὑτήν,* nihil aliud dicere vult nisi omnia, quae animi sint, tanquam e corporis vinculis soluta ad animum redire; namque quoad animus cum corpore coniunctum est, quasi certae eius partes mutua utriusque necessitudine ab eo alienatae sunt atque auctoritati eius se subducunt, discessu autem animi a corpore rursus in solam eius potestatem redeunt. Sic etiam Plat. Phaed. 83 A. Longe aliter Andoc. II, 27: *ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν τούτων αὐτοὶ εἰς ὑμᾶς αὐτοὺς ἐπείσθητε τὰ μέγιστα ἐξαμαρτεῖν,* quod non multum abhorret a verbis, quae sub C, d attulimus. Pronomen *αὐτός* iterum commutatum est in reflexivum in Plat. legg. 699 B: *ἐπὶ δὲ τῆς ἐλπίδος ὀχούμενοι ταύτης εὕρισκον καταφυγὴν αὐτοῖς εἰς αὐτοὺς μόνους εἶναι καὶ τοὺς θεούς.*

ἐν. Cf. Plat. Cratyl. 384 A: *προσποιούμενός τι αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ διανοεῖσθαι ὡς εἰδὼς κτλ.,* quo significatur eum ita in cogitatione defixum esse, ut quae circa eum agantur, omnino non curet. Similiter omnia extranea excluduntur in verbis *αὐτὸ ἐν αὑτῷ κινεῖσθαι,* quod est in Plat. legg. 896 B. Cf. etiam Plat. Theaet. 180 E, 195 E. Vis reciproca inest in eius modi formula apud Xenoph. hist. gr. I, 5, 9, ubi Tissaphernes de Graecis dicit: *αὐτοὶ ἐν αὑτοῖς στασιάζοντες.* Sic etiam Plat. legg. 747 A.

ἐκ. Haec formula omnino contraria est formulae praepositione *εἰς* formatae. Cum enim illa aliquid in semet ipsum redire significetur, hac aliquid ex se ipso proficisci indicatur. Quare Plat. Phaedr. 245 E, ubi legitur: *πᾶν γὰρ σῶμα, ᾧ μὲν ἔξωθεν τὸ κινεῖσθαι, ἄψυχον, ᾧ δὲ ἔνδοθεν αὐτῷ ἐξ αὑτοῦ, ἔμψυχον,* ea utitur ad exprimendum ipsum principium, h. e. illud quod non gignitur aliunde. Neque differt, quod est in Plat. Meno. 85 D: *οὐκοῦν οὐδενὸς διδάξαντος ἀλλ' ἐρωτήσαντος ἐπιστήσεται, ἀναλαβὼν αὐτὸς ἐξ αὑτοῦ τὴν ἐπιστήμην.*

ἀπό. Semel mihi occurrit apud Thuc. I, 122, 1: *ἥκιστα γὰρ πόλεμος ἐπὶ ῥητοῖς χωρεῖ, αὐτὸς δὲ ἀφ' αὑτοῦ τὰ πολλὰ τεχνᾶται πρὸς τὸ παρατυγχάνον.* Minime, inquiunt legati Corinthii, bellum certis legibus procedit, sed ex se ipso pro ratione rerum oblatarum multa comminiscitur. Haec igitur formula fere idem quod antecedens valet.

ἕ ν ε κ α. Hac formula verum alicuius rei pretium significatur, quod ex eius natura, non ex opinione quadam repetitur. Cf. Plat. republ. 357 B: αὐ τ ὸ α ὑ τ ο ῦ ἕ ν ε κ α ἀσπαζόμενοι. Sic ib. 357 C, 367 C.

δ ι ά cum acc. Cf. Plat. republ. 367 B: μὴ οὖν ἡμῖν μόνον ἐνδείξῃ τῷ λόγῳ, ὅτι δικαιοσύνη ἀδικίας κρεῖττον, ἀλλὰ τί ποιοῦσα ἑκατέρα τὸν ἔχοντα α ὐ τ ὴ δ ι' α ὑ τ ὴ ν ἡ μὲν κακόν, ἡ δὲ ἀγαθόν ἐστιν. Vult igitur cognoscere, quatenus iustitia propter suam ipsius naturam habenti adferat utilitatem, iniustitia damnum. Valet igitur fere idem, quod formula praepositione κατά formata, nisi quod ipsa causa magis extollitur. Cf. etiam Plat. republ. 370 A, Demosth. LV, 21.

δ ι ά cum genet. Indicatur hac formula instrumentum, quod non est extra nos positum, sed ipsis nostris viribus constat, ita ut is, qui aliquid agit, idem esse dicatur, atque is, per quem aliquid agitur. Plato quidem in Phaed. 82 E, ubi animum in corpore tanquam in carcere quodam vinctum teneri eique quasi agglutinatum esse dicit, sic pergit: ἀναγκαζομένην δὲ ὥσπερ δι' εἰργμοῦ διὰ τούτου σκοπεῖσθαι τὰ ὄντα, ἀλλὰ μὴ α ὐ τ ὴ ν δ ι' α ὑ τ ῆ ς. Dicit igitur animum esse coactum, per corpus, non per se ipsum res externas conspicere. Cf. Plat. Cratyl. 438 E, Theaet. 185 D, E, soph. 274 A, Isae. VIII, 16, Demosth. XIII, 19, XLVIII, 15.

κ α τ ά cum acc. Haec praepositio omnium saepissime adhibetur ad rem per se significandam. Quod tamen variis modis fieri solet. In Plat. Phaed. 64 C Socrates non adquiescit in eo, quod mortem discessum animi a corpore esse dicit, sed addit: καὶ εἶναι τοῦτο τὸ τεθνάναι χωρὶς μὲν ἀπὸ τῆς ψυχῆς ἀπαλλαγὲν α ὐ τ ὸ κ α θ' ἑ α υ τ ὸ τὸ σῶμα γεγονέναι, χωρὶς δὲ τὴν ψυχὴν ἀπὸ τοῦ σώματος ἀπαλλαγεῖσαν α ὐ τ ὴ ν κ α θ' ἑ α υ τ ὴ ν εἶναι; Quid aliud dicere vult Socrates, nisi post mortem omissa mutua corporis et animi necessitudine utrumque non modo seiunctum et separatum esse, sed sibi soli esse addictum, ita ut necessitudo illa, quae antea inter animum et corpus intercessit, nunc sit animo cum animo, corpori cum corpore? Apparet igitur illud αὐτός ante καθ' ἑαυτόν significare, solitudinem habere propriam quandam vim in illud, ad quod referatur. Quod subtilius cognoscitur ex Plat. Phaed. 65 C, ubi Socrates docet, nihil veri, quod quidem recte ita possit appellari, corporis auxilio cognosci, immo vero animum, cum ad sinceram veritatem indagandam se convertat, corporis fugere societatem et se ipsum quasi in se conligere. Haec sunt verba philosophi: λογίζεται δέ γέ που τότε κάλλιστα, ὅταν μηδὲν τούτων αὐτὴν παραλυπῇ, μήτε ἀκοὴ μήτε ὄψις μήτε ἀλγηδὼν μήτε τις ἡδονή, ἀλλ' ὅτι μάλιστα α ὐ τ ὴ κ α θ' α ὑ τ ὴ ν γίγνεται ἐῶσα χαίρειν τὸ σῶμα. Quod modo diximus, magis probatur ipsius Platonis definitione, qui quidem αὐτὸ καθ' αὑτό in Phaed. 66 A, 81 C accuratius explanat voce εἰλικρινές, quod significat, quidquid nihil sui dispar admixtum habet, et ib. 78 D voce μονοειδές, quod idem valet atque εἰλικρινές. Iam vero tenendum est in illa dicendi formula modo notionem solitudinis modo ipsius naturae rei propendere. In Eurip. Ion. 610, ubi legitur:

(ἐλθὼν) γυναῖκά θ' ὡς ἄτεκνον, ἣ κοινουμένη
τὰς ξυμφοράς σοι πρόσθεν ἀπολαχοῦσα νῦν
α ὐ τ ὴ κ α θ' α ὑ τ ὴ ν τὴν τύχην οἴσει πικρῶς,

solitudo, qua dolori tacita indulgeat, magis extollitur. Quare Plato compluribus locis μ ό ν ο ς augendi causa addit, velut in polit. 307 E: οἱ μὲν γὰρ δὴ διαφερόντως ὄντες κόσμιοι τὸν ἥσυχον ἀεὶ βίον ἕτοιμοι ζῆν α ὐ τ ο ὶ κ α θ' α ὑ τ ο ὺ ς μ ό ν ο ι τὰ σφέτερ' αὑτῶν πράττοντες κτλ. Sic etiam Plat. republ. 604 A. Sed formula illa etiam aliam habere potest notionem. Cum enim in prae-

cedentibus exemplis, ad ipsam rem, de qua sermo est, pertineat, etiam rationem, qua ille, qui sententiam dicit, rem quandam spectat, significare potest. Est igitur illa notio, ut barbari dicunt, obiectiva, haec subiectiva. In Plat. symp. 181 A: *οἷον ὃ νῦν ἡμεῖς ποιοῦμεν ἢ πίνειν ἢ ᾄδειν ἢ διαλέγεσθαι οὐκ ἔστι τούτων αὐτὸ καθ' αὑτὸ καλὸν οὐδὲν, ἀλλ' ἐν τῇ πράξει, ὡς ἂν πραχθῇ, τοιοῦτον ἀπέβη*, illa formula significat »per se spectatum«. Sic etiam Plat. symp. 183 D, republ. 358 B, D. Quoniam vero nobis ipsis addicti et nobiscum versantes cogimur, ut nostris potissimum viribus utamur, saepius fit, ut haec formula vim sibi induat »non adiuvantibus aliis« vel »suis ipsius viribus«. Quare in Aristoph. nub. 194 Strepsiadae quaerenti, quid tandem anus discipulorum in coelum spectet, discipulus respondet:

αὐτὸς καθ' αὑτὸν ἀστρονομεῖν διδάσκεται.

Suo Marte, inquit, astrologiae operam navat. Similiter dicit Xenoph. mem. III, 5, 4: *ἀπειλοῦσιν αὐτοὶ καθ' ἑαυτοὺς ἐμβαλεῖν εἰς τὴν Ἀττικήν.* Sic. ib. III, 5, 11; 14, 2. Neque aliter Aristot. mech. 18: *ἔλαττον γὰρ ἔτι ἡ ἑτέρα (τροχαλία) ἕλκει ἢ εἰ αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν εἷλκεν.* Sic etiam Aristot. probl. 6. Plerumque autem scriptores Graeci hac formula utuntur sensu logico, ut rem aliquam per se spectandam esse indicent. Cf. Aeschyl. Prometh. 1013, Plat. Phaed. 65 D, 66 E, 67 C, E, 70 A, 79 C, D, 83 A, 100 B, Hipp. mai. 299 C, republ. 485 D, 516 B, 524 D, 528 A, 572 A, Euthyd. 281 D, Meno. 88 C, 100 B, Theaet. 152 D, 153 E, 156 E, 157 A, 182 B, 186 A, 187 A, 188 D, 189 B, 201 E, 205 C, soph. 238 C, 255 C, Pseudopl. Alcib. II, 145 A, epin. 978 E, Thuc. VII, 28, Antiph. V, 21, Lys. XXVI, 11, Isocr. VII, 4, X, 31, Demosth. Olynth. II, 14, Phil. I, 24, de cor. 324, XIX, 20, XXIV, 147, XXIX, 9, LII, 2, Aristot. categ. 6, pol. II, 9, top. I, 11, phys. ausc. VIII, 5 (p. 257).

κατά cum genet. Haec formula isdem cum verbis coniungitur, quae sub C, d adlata sunt. In Aeschyl. Sept. 406 Eteocles dicit, Tydea plenae lunae imagine, quae scutum eius insigne faciebat, contra se ipsum vaticinaturum esse:

καὐτὸς καθ' αὑτοῦ τήνδ' ὕβριν μαντεύσεται.

Similiter Oedipus in Soph. Oed. tyr. 228 dicit:

κεἰ μὲν φοβεῖται, τοὐπίκλημ' ὑπεξελὼν
αὐτὸς καθ' αὑτοῦ.

Adicio verba *λέγειν αὐτὸν καθ' αὑτοῦ* in Plat. Protag. 323 B, Charmid. 158 D, *μηνύειν* Thuc. VI, 60, *μάρτυρα γίγνεσθαι* Antiph. VI, 32, *μαρτυρεῖν* Aeschin. II, 64, *δεῖγμα ἐκφέρειν* Demosth. XXI, 183, *μὴ διαιτᾶν* XXXIII, 34, *συγγράφεσθαι* LVI, 10, *τὴν ζημίαν γράφεσθαι* LVI, 44.

